



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm VII. Ad aures.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

horum, si nolint ij, aut non possint, qui-
libet de Clero, seu Ecclesiastica persona, a-
gere potest ad restitutionem, seu revocatio-
nem, secundum Innoc. in c. cum olim n. 3.
de restibus. Versatur enim hîc jus publi-
cum & jus publicum. dist. 1. ubi Gl. ait,
quod, qui sacerdotem lædit, vel rem sa-
cram ab omnibus, tanquam de publico
crimine, accusari potest: præferendi tamen
sunt ejusdem Ecclesiæ Clerici Parochianis
Laicis, atque extraneis.

Potro Ecclesia in casu illegitimæ aliena-
tionis duas actiones habet, una est persona-
lis contra alienantem, ut illatum Ecclesiæ
damnum resarciat, altera est in rem, seu
realis, nisi malis dicere esse possessorij in-
terdicti adversus rei alienatæ possessorem,
prout hic Gl. notavit V. alienata, & colligi-
tur ex L. 3. C. si tutor vel curator &c.
Tamen verò contra alienantem agi non
possit dictâ personali actione, si Ecclesia
per restitutionem indemnis reddita sit L. 1.
§. si plures. ff. de eo, per quem factum fue-
rit. Cum æquum non sit, Ecclesiam cum
alterius damno locupletari. Accusatio ta-
men institui potest ad pœnam, sive satisfac-
tionem pro injuria, sicuti docet Gl. in c.
monemus 18. V. reddere. causa 12. q. 2. ubi
ait: vel Ecclesia agit contra ementem v. g.
ad pœnam, vel ad interesse; si ad pœnam,
potest adhuc agere contra alienantem, quia
pœna unius non liberat alterum. Sin ad
interesse, non potest agere, quia jam suum
consecrata est, & ideo interesse desijt. U-
trum verò emptor, seu is, cui alienatio fa-
cta, pretium repetere possit, declarat hic
Abb. n. 12. & explicavi lib. 3. tra. 4. c. 10.
n. 4. in fine.

CAPITVLVM VII.

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Prelatus Ecclesiæ sylvas per agricolas era-
dicari, & terram arabilem fieri curavit.
Postea quæsiuit, an ea terra iisdem a-

gricolis in emphyteusim pro censu annuo
jure hæreditario dari possit. Respon-
dit Alex. III. ipsis, vel filijs eorum eam
terram posse tali pacto tradi in emphy-
teusim, nisi alijs cum majore Ecclesiæ u-
tilitate simili modo tradi possit.

SUMMARIUM.

1. Terra facta arabilis, utilis Ecclesia,
in emphyteusim dari potest.
2. Eo modo, secundum quem majorem
inde utilitatem consequi possit Ecclesia.

Notandum primò. Si Ecclesiæ utilis sit
terra arabilis, colonis tradi potest in
emphyteusim ad aliquot generationes Auth.
de non alienandis. S. emphyteusi. Et verò
plerumque manifesta est utilitas, aut ne-
cessitas, terras incultas & quæ multo la-
bore indigent, in emphyteusim tradendi:
nihilominus, spectato communi jure, adhi-
bendus esset consensus Capituli, & superio-
ris, nisi consuetudo aliud obrineat.

Notandum secundò. Ecclesia fundos
suos eo modo elocare, aut in emphyteusim
dare debet, secundum quem majorem u-
tilitatem consequi potest. Ita Gl. hic, &
sumitur ex cap. sine exceptione 52. causa
12. q. 2. ubi indicatur, ita semper aliena-
tionem esse instituendam, ut magis profu-
tura sit; quare in eodem c. indicatur, &
bene admonet inter alios Suarez tom. 4. de
Religione lib. 2. c. 27. n. 3. alienationem
unius rei minus utilis ita faciendam esse,
ut loco ejus alia utilis, & commodior com-
paretur, dummodo id fieri possit.

CAPITVLVM VIII.

Vt super.

PARAPHRASIS.

Ravennatensis Archiepiscopus consuluit
Cælestinum III. cum antecessor ipsius
possessions, & reditus à Rege, & alijs
locis provenientes perceperit in suos u-
sus, quoad vixit, neque alij infeudarit,
num censerî debeant, esse de mensa E-
piscopali, ita, ut ipse ratione juramenti
Gg 2 Sedi